

ficia hominis regeniti ex legibus diuinis manan-
 tia tradit; Tertia vero, quæ est *de Prudentia
 Christiana & Theologica*, prout prudenter pe-
 ricula, quibus circumsepti sumus declinare, in-
 commoda, quæ rectum in vita Christiana cur-
 sum impedire queant, superare, & mediis legiti-
 mis finem optimum ubique obtinere possimus,
 demonstrat. His omnino iungi debent Eius-
 dem Theologi exquisitissimi *Theses Theologicae
 de Atheismo & Superstitione* ex Latina Editione
Jenæ 1717. 8. Germanica vero versione elegan-
 ti & culta *Ibid. 1717. 8.* quarum lectio & medita-
 tio Iuris Cultori, exulceratis hisce nostris tem-
 poribus ubi late serpit Atheismi venenum, atque
 opinionibus ad Atheismum ducentibus, scatez
 orbis quandoque & Academiae, pernecessaria est,
 magnopereque commendanda. Nec male ad-
 duntur IOACHIMI IVSTI BREITHAVPTI *Theses
 credendorum atque agendorum fundamentales,
 Hale 1709. 8.* editæ, quibus & theticae &
 moralis Theologiae fundamenta præscribun-
 tur.

§. II. Sic per Pietatem bene præparato ani-
 mo, *Philosophiam* adgrediatur Iuris studiosus, *Philoso-*
 qui in disciplina rationali, quam *Logicam* ap-
 pellamus, commendatam potissimum habeat *Logica*
 CHRISTIANI THOMASII *Introductionem in Lo-*
gicam, cum eiusdem *Praxi*, Eiusdemque *Intro-*
ductionem ad Philosophiam aulicam, utramque
 Germanice editam. Addi cum fructu potest
 IOANNIS CLERICI *Logica* ex optimis concin-

Eee 5

nata,